



Societas Iesv Amatrix, Cultrix, Imitatrix, Christi Crvcifixi

Sandaeus, Maximilianus

Antverpiae, 1647

42. Crucem cuspidinibus horridam nudo pectori applicat, & infigit, Thomas Saillius, Belga.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55449](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55449)

II.

AMATOR CRVCIFIXI

*Crucem cuspidinibus horridam nudo pe-
ctori applicat, & insigit.*

THOMAS SAILLIUS Belga CHRISTI
CRVCIFIXI Cultor tam eximius
fuit, ut si quid videri posset in hac re ni-
mium, nimius ipse fortasse quibusdam
haberetur. Erat sanè in se rigidus &
asper: in alios mollis & suavis. Multâ
se inediâ macerabat, algore, humicuba-
tione, dirâ flagellatione, hirtio cilicio.

Sed pium simul atque ingeniosum
tormentum fuit CRVX sesquipalmaris,
tota superficie præacutis munita stimu-
lis, quinque cuspidinibus altiùs in
CHRISTI VVLNERVM reverentiam ex-
stantibus, nudo pectori applicita; quam
pugno impacto cum detestatione suo-
rum peccatorum sibi imprimebat iden-
tidem magno cum dolore, nec sine san-
guinis effusione. Profectò hinc CRVCIS
Amatori parum fuit humeros CRVCI
subjicere, nisi etiam pectore profiteretur.

Proximo ante mortem die, cum in
Sacellum, Confessionum audiendarum
causâ, more solito venisset, Socio, quem
habebat Sacerdotem, ipso in loco, quod
nunquam aliàs ab eo factum, prius est

42.

THOMAS
SAILLIUS
Belga.

confessus, quàm ad faciendum Sacrum accederet. Sumptis in Sacro Sacramentis paralyti membra luxari præsentiscens, socium admonuit, à quo substratæ humi culcitæ raptim impositus est. Domum paulò post relatus, sacro poposcit oleo inungi, atque inter illustria pietatis, & humilitatis exempla atque argumenta, sanctam egit animam, Bruxellis die VIII. Martij. Anno salutis M.DC.XXIII, ætatis LXX. Religionis XLIII.

Litt. Flandro-Belg. Antonius de Balinghem in Kalendario Mariano, Mart. 8. Ioan. Rhò. lib. 3. hist. Exempl. cap. 7. B.S.

III.

AMATOR CRUCIFIXI

Dolores morbi sui, recordatione Christi Passi ac Crucifixi mitigat.

43.
ANTONIUS
GAVDIER
Gallus.

ANTONIUS GAVDIER Gallus, qui de Sanctissimâ CHRISTI IESV, DEI & Hominis amore; nec non de verâ CHRISTI IESV, DEI & Hominis imitatione scripsit egregiè, vir fuit multæ orationis & mortificationis: in discernendis spiritibus acutus, in dijudicandis animi motibus sagax, in detegendis Dæmonis fraudibus solers & perspicax, in omnibus hominis religiosi officijs strenuus ac diligens: disciplinæ tenax, Regularum amans, instituti constans exactor,